

Letter 290: 11 June 1526, Strasbourg, Capito to Ulrich Zwingli

Printed in *Epistola V. Fabritii Capitonis ad Hulderichum Zuinglium, quam ab Helvetiis forte interceptam, D. Ioan. Faber Constaniensis in Germanicum versam depravavit, una cum duabus epistolis, quibus illum concionatores Argentinenses ad collationem scripturarum provocarunt. Quibus cognosces, lector, qua arte, dolo, impostura et perfidia, Capitonem ut opprimeret Faber adorsus sit*, pp. 11b-20a (B3-C4). Fabri's glosses (added to the German translation, *Neuwe zeitung und heimliche wunderbarliche offenbarun*) are inserted here in reduced font. The text in italics is Capito's reply to Fabri's glosses.

Huldericho Zvinglio suo in Domino maiori observando, Wolfgangus Capito.

Gratia tecum, dilectissime frater. Antichristus modo speciem prebet ultimi conatus; nondum enim pronuncio, an serio moliatur, quae prae se fert.

Quis non videt similitudinem belli ostentatam dici?

5 Ratisponensi foederi Caesar mandatum dedit tuendi se auctoritate sua, cum magnifica pollicitatione, propediem se adfore Germanis, seditiosam illam doctrinam (sic evangelium nominant) radicitus evulsurum.

10 Lieber Capito, frag die armen ellenden witwen unn weisen, deren in einen cleinn bezirck der Teütschen nation vil hundert tausent seind, deren menner durch dein und der Lutherschen ratschläg unn predigen leider erschlagen, was ir für ein verdampft Ewangelium geprediget haben.

Quod veritas mendacio seditiosa dicatur, vetus est. Et omnia plena sunt hac aetate calumniatorum, quorum technis eiusmodi edicta debemus.

15 Episcopus noster famam spargit, se emere avenae saccos octies mille in vicinis oppidis pro ingenti equitatu excipiendo; tabernas atque hospitia inscripsit, aedificat equorum stabula in singulis arcibus suis.

Der weyß mann Salomon hat geredt von einem geschlecht das gott hasse vor allen dingen. Namlich ein verlognen mann, er pasciere die wind.

20 *Tali rumore tota vicinia, nedum urbs nostra percrebuit, adeoque cogitatione quidam praeviderunt, ansam hic nactum Fabrum opprimendi verbi apud Helvetios. Solet enim vanissimis rumusculis ruentem superstitionem subfulcire. Et quis nescit vana multa in famam venire? Et tamen ut amici similia inter se per occasionem nugentur, nullum, opinor, piaculum est, quod vel in publicum, vel apud ignotum interim narrare subpuderet.*

25 Ridicula consilia! Solida pectora non frangentur larvis, tametsi equestri excursione lenta praelia ducturi videantur, quod quidam consilium quam illis tutum sit, ignoro, nisi omnino Dominus cor pavidum et ad motum folii trepidum dederit. Ferunt ad haec Brunsvicensi duci Henrico datum potestatem atque mandatum impugnandi Saxones.

Wann du ein Christenlicher Ewangelist werest, so soltest uffhör ich sag sollich schwere ding nit schreyben, und du, wie ich sich, fürchtest dir vor den butzenschiemen dann du gast in der faßnacht.

30 *In alicuius homuncionis contumeliam vel compertissimum scribere mihi religio est. Atqui nihil aliorum refert, quid quisque privatis colloquiis verset. Aequalis autem iuris epistolae habentur quae viris inculpatis scribuntur.*

Episcopi cupidissime omnia minantur; nam est eis vis ingentissima pecuniae; nihildum apparet veri; conventus Spyris institutus talia consilia confirmabit atque in apertum producet, modo spes sit illis victoriae.

35 Sich, dieser Prophet weißt künfftige ding, und was die menschen in iren hertzen haben.

Non dico conventum primum in hoc institutum, ut ea confirmet, sed simpliciter conventus institutus. Neque definitio quamobrem institutus sit. Consilia eiusmodi, inquam, confirmabit, divino pudenter ad amicum, quod Faber sic esse affirmatissime pronunciavit apud Helvetios, qui

40 *ad imperii senatum propterea scribunt, se scire caussa novi eiusmodi erroris evellendi illos coactos, quas literas Faber, tanquam in me testes, prior publicavit.*

Expecto rebus publicis acriorem digladiationem imminere, quas arte diviserunt.

So du und deinsgleychen uff dem land schier alle pauren erschlagen haben, wolten ir gern einen Stettkrieg anrichten, den wirt man fürkommen mit zweyen kurtzen raschlegen: namlich, dich unn deins gleychen Sacrament stürmer veriaigen und Christenliche ordnung wider uffrichten. So das geschicht, so wirt dein prophecey nit erfüllt.

45 *Expectamus quae saepenumero nunquam contingunt. Faber sic vertit: "Est modo prae manibus acre bellum rebus publicis." Ita sibi studio ducit iusto maiora reddere omnia! Deinde his verbis colligit, occisis per nos agricolis, iam nos meditari bella civilia. Iudicet aequus lector, an vere colligat.*

50 *Nulla est Rhenanae provinciae, quae ex animo cum nostra faciat. Minores undique concionatores exautorant, metu percussae expectati mali.*

Das hast du, der Butzer, der Zeller, der Hedijs, der Farellus unn ander meyneydig brieder in der kisten zugericht, dann ewer baum gibt solich frucht.

Quatenus, inquam, ad confessionem verbi pertinet, quod sequela arguit; alioqui nostrae reipublicae cum omnibus amicitia vetus ac fida constat.

55 *Habent principes pro se edicta Caesarea blasphemata, ne vel scripturae lectio relinquatur plebi, quae quidem in ventum tandem abibunt.*

Nota und wol, das diser Ewangelist Keyserlicher Maiestat Edicta gotslesterig nennet, mit der zeyt sol es nit vergessen werden.

60 *Simpliciter dico blasphema, Faber interpretatur: "gotslesterigen," de suo enim addit: in Deum. Nam in Deum blasphemum, hanc vocem Germanicam refert. Caeterum blasphema convitium est, quemadmodum apud Demosthenem pro Ctesiphonte et alias frequenter occurrit, et huius vocis perpetuus usus est pro simplici convitio; quare prudenti amico significavi verbulo eodem, edicta Caesareana obtrectare verbo, dum partim prohibent vulgum a lectione Novi Testamenti, partim evangelicam veritatem faciunt seditiosam. Et quid commeruit, obsecro, qui edicta principis falsa, aut etiam in Deum blasphema nominat, postquam eiusmodi dolo interim extorquentur, interim qui imperant narrant perperam, addicti nimium caussae suae? De rescriptis principum, ut exquiramus, iura liberum faciunt, imo id iubent. Proinde minis Fabrilibus nihil moveor, qui privatis literis scripsi, quae cogor ex fide vel tormentis adactus, palim confiteri. Ita nobis Christus edicit: "Qui me non confitetur etc."*

70 *Sed ea, ubi nervus belli, id est pecunia, tyrannos non defecerit, ut sunt propenso animo ad nocendum vicinis rebuspublicis, erunt materia bellandi.*

Nota, wie er die Fürsten Tyrannen nennet uß Ewangelischer patientz und dem geist Gottes.

75 *Tyrannos nomino, qui sui compendia gratia verbum ex sententia persequuntur. Quam vellem ut hac tempestate competeret nemini! Alioqui novimus principes prophanos, adeoque fortassis ecclesiasticos, qui gloriam Dei cum publica tranquillitate, si fieri posset, provectam cupiunt.*

80 *Nam dicturi videntur adversarii: "Nos imperio Caesaris iuxta prestita iuramenta obsequentes, prohibemus novas doctrinas. Vos interim pergitis libere illas asserere, qua ex re noster quoque populus inficitur. Necesse est, ut aut nos in vestram sententiam, aut vos in nostrum concedatis."*

Wie bedunckt eüch dann, solten ir also fürfaren, so würden Fürsten unnd herren in drey jaren keinen pauren mer haben, man miest sie all zu totsclahen, nach des Luthers leer unn ablas den er über die pauren geben hat.

85 *Absentis coniectura de hostium consilio, quam Faber glossemate suo comprobat. "Quod si vobis, inquit, pergendum fuerit, principes plebe carebunt, omnes trucidandi venient iuxta dogma et condonationes Lutheri." Verum, mi Faber, expone, ubinam Lutherus docuerit, omnes*

trucidandos agricolas! Asseverat anxie ius gladii, et ne quis interim sibi gerat magistratum, fideliter admonet. Quod si ad publicum bonum administrabunt rempublicam qui praesunt, et populus tanquam Deo praefectis etiam morosis parebunt, altissima certa pace perfruemur. Sic nos docent literae apostolicae, quas enarrat nobis Lutherus.

90

“Caeterum, qui possumus voluntati Caesaris ita iubentis repugnare? Proinde, ut publicae concordiae consulatur, volumus, ut eiectis concionatoribus, pristinas ceremonias reducat, quo possimus utrique edictis parere Caesareanis et in concordi religione iterum coniungi.”

95

Bey den alten glauben ist es nit übel ergangen, aber ir haben mer schaden gethon gantzer Teütscher nation, dann sie in zwey tusent jaren erlitten hat.

Caeterum ridiculum est, quod ait Faber, cum vetere religione nihil infelicitate cecidisse. Nam bella semper viguerunt, et non est Lydius religionis lapis externa felicitas, sed ex fide in Deum inculpata vita. Isto ore loquitur Symachus [gr.] atheos, aut Epicuri de grege porcus, non Christianus homo. Sed ex abundantia cordis os loquitur.

100

Quod si ita egerint, quot putas perduraturas? Certe rarissima erit: Argentina, Ulma, Norimberga, in hoc vicinia; et tres forte respublicae apud Saxones et maritimae. Quae in confinio Helvetiorum sitae sunt, eventum vestrum sequentur.

105

Nota, wie diesem Ewangelisten der baß im busen geloffen sey, es bedunckt in selber, ir sach müg noch werd keinen bestand haben.

Pii pectoris de gloria Dei inter homines retinenda sollicitudo non metus est, quod scribimus. Neque querimur respublicas nominatas nimium inter se distare, quod tu, Faber, nobis affingis, quo relinquo adversus nos expetiti inter respublicas foederis suspicionem. Atqui, haud sumus [gr] aspondoi, imo sumus coniuratissimi et plane unus in Christo Iesu. Caeterum tuae factioni opprobratur illud: En coniuratio et quicquid dicit populus iste coniuratio est, nimirum adversus Dominum et adversus Christum eius.

110

Quantum modo spei de Helvetiis divisio ista conceperint, nos hic experimur: mutuam videres gratulationem, ceu de certissima victoria.

115

Capito, hettest du den ellenden barmhertzigen hauffen bey dem Ecolampadio gegen dem treffenlichen erbern Christenlichen hauffen gesehen, du hettest dich selbs erbarmbt.

Regnum Antichristi per divisiones crevit, ideo dant operam ut concordia inter socios, vel coniunctissimos, dissiliat. Faber hunc locum dissimulat, obiecta vilitate fratrum quos fastidit prae suorum gladiatorum magnificentia, quasi veritas a mundi fastu dependeat.

120

Quem cursum stulto hoc libello remorati sumus, quo utcunque doli adversariorum ostenduntur.

Es ist war, das biechlin ist klein, aber die lugenen seind groß, und schäm dich in dein hertz, das du sollich groß lugin wider so ein dapffere erberkeit der Eydgnossen solt trucken lassen, pfeüw dich diser biebereyen.

125

Ei libello titulus est: Vera narratio de disputatione Badensi, neque in eo quicquam calumniantur adversarii quam quod L. Beri verba parum firme recensita sunt. Nam omnino simile quiddam dixit, in qua tamen re, dixerit an non dixerit, paulum momenti situm est.

Quod si humano consilio rem gereremus, concideremus plane, tanta timendi materia undique se apperit. Verum, quia novimus quam profunde apud multos radices egerit verbum, speramus multorum constantiam, a quibus, qui modo ceciderunt propediem erigentur. Nam sumptuosum et prolixum bellum non ferent, et mediocri nihil agent.

130

Da sicht man wol, das ir eüch nit uff das wort gottes, sonder uff die karthonen, notschlangen, bollwerck, unn die grossen pasteyen verlassen wöllen, also haben im auch die zwölffboten gethon, deren nachkommen ir alle sind.

135 *Hic locus ex nostra vena proprie est. Testamur nos a Deo in tanta causa solum pendere, incuriose transmittentes, quid homines minentur. Item, quod ob receptum altius verbum speremus constantiam multorum. Verum inde Faber contrarium colligit, nimirum ex flore venenum, ex vino toxicum. Palere enim hinc ait, quam verbo Domini diffisi bellicis nitamur machinis. Quam caeca est mens invida, atque odio percita!*

140 Summa summarum: pontifex cecidit cum suis satellitibus, exturbata aestimatione eius e pectoribus hominum, quem leviter suffulciunt propugnatores impanati Christi.

Sich, du gotslesterer, du wilt auch Christum vertryben im Sacrament, das wirt aber nit beschehen, er ist zu starck. Hast du vergessen, da du unser predicant zu Basel, ein liecht der Christenheit, und ein grosser Rabi in allen sprochen geweßt bist, das du fünff jar aneinander alle tag mess gehalten hast?

145 *Traditiones humanae et autoritas ecclesiastica fulciuntur nonnihil nova opinione, quae obtinuit contra scripturam et adversus veteres canones, videlicet quae de corpore Christi per malum sacerdotem consecrando pronunciat id quod a quibusdam etiamnum affirmatur. Eo tibicine, inquam, leviter fulcitur pontifex, unde autoritatem summam contra monarchas mundi obtinuit. Haec Faber vitiat, pro "leviter suffulciunt," reddit "facile avertentur," quasi secus sentientes contemnerem, quod neutiquam soleo.*

150 Haec libuit de publicis turbis ad te, quas video perquam evanidas esse et minime duraturas, nisi quod molliores interim concidunt, sed fortiores resurrecturi. Novum bellum Gallicum timent, unde consilia pleraque in diem proferuntur. Interea Dominus verbum suum provehet.

155 Sich zu, du frommer Christ, was das für leüt seyen, das si sich freüwen, das die grösten haupter als der Keyser und König von Franckreych wider einander drieg fieren solten, allein das ir bieberey ein fürgang hab.

160 *Superiorum omnium moderatio: Evanida, inquam, sunt. Neque nobis voluptatem adfert discordia principum, pro quibus oramus quottidie, ut sub eis placidam et quietam vitam degamus cum omni pietate et honestate, quorum consensus in Domino orbem tranquillaret. Atqui Dominum magnificimus, qui sua bonitate perniciosis bellis in verbi sui amplificationem abutitur interea, et qui de subito malorum rationes adeo subvertit.*

165 Audi novam technam Satanae! Superioribus diebus ex Anabaptistis, unus prorsus illiteratus ex Benfelt - oppidum est sub ditione senatus nostri - huc adductus est; is palam nos proscidit contumeliis et professus est se nos ad palinodiam redacturum. Adversarii in senatu plausu magno stultum exceperunt et curarunt nostris assentientibus, ut ter aut quater coram senatu confertissimo ageremus.

In senatu sunt qui necdum agnoscunt verbum nostrum esse verbum Domini, quibus quod ipsorum sententiae subscribit adlubescit: ii nobis civili concordia nihilo setius iuncti sunt.

170 Capita dogmatum sunt: nullum magistratum esse Christianum, pueros non baptizandos, neminem pium suscipere arma posse ad imperium magistratus, diabolum et impios omnes demum salvandos fore.

175 *Perniciosi homines negant inter disputandum verbum Domini, quatenus ipsorum somniis repugnat, sine quo Dei esse non possumus. Et adempto penitus magistratu, civilem abrumpunt consuetudinem, dedignantur omnes concionatores verbi. Solos qui sunt rebaptizati, Christianos et fratres agnoscunt: elementis alligant libertatem Christianum, quos excitat Satan in hoc ut moveat pios monarchas ad leges libertati Christianae iterum praescribendas. Verum illi expendant, quantum damni orbi allatum sit tyrannide spirituali, el relinquunt prophetare quemlibet ordine debito, ut reliquae ecclesiae diiudicent; neque extinguant prophetias iure gladii, ne ruant in possessionem*

180

Dei, sed gnaviter alioqui utantur eo adversus rerum novarum cupidos. Diuturna esse non possunt, quae sunt ex hominibus, ut illa sunt: brevi abolescent, auspice Christo.

Interea mille in nos iactavit convitia, impios esse papistas, nos impietate illos modis infinitis excedere, neque peiores nobis uspiam exitisse, neque etiam in posterum fore.

185 Pronunciavit interim, anno septimo ab hinc ad diem Ascensionis, hora duodecima, in primo articulo horae finiendum saeculum hoc. Tandem post acrem obiurgationem verbi, qua hominem gloriae desyderio insanum flagellavimus, abmandatus est ad Benfelt, hac lege, ne quid in vulgus de suis dogmatibus efferat. Verum, interea mira de se praedicavit, quemadmodum nos vicisset ac reddidisset elingues, atque eruditos omnes casuros prae spiritu suo plerosque ad famam talem

190 commovit. Senatus iussit ultimo, ut praefectus eius loci hominem oppido eiiceret. Factum est: eiectus venit huc; heri adfuit concionanti Matthaeo Zellio et mox duo verba aegre elocuto reclamavit acerbissime. Praelecto enim loco aliquo Deuteronomii in eos qui Deo non audiunt, exorsurus sermonem futurum dixerat: “Videte quanti periculi sit, non auscultasse spiritui in scripturis loquenti.” Tum ille Anabaptista: “Tu mentiris, frater Matthaee, in Spiritum Sanctum; praecipio tibi huius virtute, ut descendas et mihi de sensu Spiritus veriora locuturo cedas locum!”

195 Papistas non minus impios subinde appellavit. Oboritur totius ecclesiae commotio ad hanc unam vocem. Civis quidam iniecta manu, furiosum ad magistratum produxit; sequebatur ecclesia, quam Matthaesus aegre partim retinuit.

200 *Commotio, non seditio, non turbatio fuit. Prae miraculo interpellatae contionis, homines suspiciebant, et partim abductum ad magistratum sequebantur, sed retenti sunt illi auctoritate ecclesiasticis, ut residerent ad avidos verbi quorum bona pars tum aderat.*

Offert se nebulo ad poenam talionis atque ardentissime efflagitat, ut et nos in vincula coniiciamur, quoad causa finem sit sortita. Exclamat de turri: “Praedicatores vestri cadent, imo iam ceciderunt.”

205 Dise deine brieff seind ein anzeygung, das diser geist recht gesagt, frylich er ist Saul oder Cayphas.

Adiecit apud Senatum, decreta pontificum et ecclesiam externam cum toto suo satellitio, hoc est, cum sacerdotibus, monachis, nonnis, sacramentis, consecrationibus, missis, et id genus recta esse contra Christum.

Das ist eüwer art, das ir Rotten machen und den gemeynen mann wider die Oberkeit an eüch hencken.

210 Vide quantae intemperiae hominem simplicem et sibi confidentem agitent. Nonnihil inde molestiae sentiemus, sed extra omne periculum. Praemunitae enim sunt ecclesiae nostrae, quae summam Christianismi proprie norunt ac tenent probissime. Haec tibi scribere libuit.

215 *Ex eo quod scribimus: “Ecclesiae nostrae summam Christianismi proprie norunt ac tenent probissime,” ex his nemo non intelligit, nos anchoram spei in Dei scientiam et rationem Christianismi bene perspectam ac meditatam collocasse. Hinc enim vulgus natura mobile minus est obnoxium imposturis. Quae verba Faber depravat et postea colligit hoc modo: “Istud est ingenium vestrum, conspirationes adornare et populum vobis adversus magistratum agglutinare.” O calumniatorem! Significo periculum a turbatore illo nihil metuendum propter rationem Christianismi probe conceptam, et vanissimus impostor rapit ad confessionem studii rerum novandarum!*

220 Lutherus Suevorum Syngamma in Germanicum vertit et commendavit magnifica praefatione, in qua tu et Oecolampadius perstricti estis. Cui velim responderi argumento tali per Oecolampadium, quale ex ipso cognosces: nimirum ut reiiceret in Dominum nos eo modo tentantem, cum libera professione, quanta Dominus per illum praestitisset, ut propemodum supra

225 hominem crederetur; proinde clementer huic malo mederi Deum, postquam eum relinquit in tali errore et permittit ad tantam obliviscentiam charitatis recidere, ut tradat Satanae et Satanam dicat, quos deberet lege charitatis pro fratribus agnoscere.

Sich, wie sie dem Luthero das hülmlin uß falschem hertzen durch das maul ziehen unnd in loben wöllen, ob sie in auch zu einem Sacramentsturmer machen möchten.

230 *His nos dicit Faber oblinere os Luthero, qui nihil voluimus monere, quam ut amicus libere profiteretur, quae Dominus per illum praestitisset. Nihil dixi ei affingendum: re ipsa maior est quam tuae ferant sordes.*

235 Nondum nobis copia facta est. Nam impressor Hagenoensis ad nundinas usque vult celare. Adornavi insidias et spero me propediem nacturum copiam: tum mox habebitis; nam respondendum erit.

Sich, das ist briederliche liebe, das er seinem bruder in Christo den buchtrucker, heimlich ein buch wil stelen lasen. Thet ich das, sprach der wolff, das Wolffgangus thun wil.

Id arbitror pium, ut incumbam, quo postulato fratri apud ecclesiam facultas atque spatium detur, pro se atque veritate caussam dicendi.

240 Misi Oecolampadio, quae Lutherus in epistola ad quendam suum sectatorem. O humanam fiduciam, sic potest erigere cristas et prae se contemnere quaevis!

245 *Annotat Faber Lutherum semper fuisse monachum superbum. Quod attinet ad constantiam spiritus, non iniuria Faber id queritur. Nusquam enim cedit humanae tyrannidi conscientias liberis opprimenti, alioqui ad modum fidei fere sapit. Et in explicanda eucharistia praeter modum nobis videtur, velut ex imperto pertinaciter asseverare, quod scripturis traditum esse necdum scimus. Id quod liberiore verbo nominavi, erigere cristas, sed privatim, ad amicum taciturnum, ne quid fratri derogarem, quod tu contra ius gentium invulgasti. Neque piaculum est, opinor, de homine quamlibet magno sentire, quod patiat quiddam humanitas. Facile omnes in vitium prolabimur pertinaciae, incalentes aestu concertandi, quo nomine Fabrilis dogmata, quae nihil ad aedificationem prosunt, execramur potissimum.*

250 Orat impressor noster [gr]to tēs zētēseōs syngamma, si quod habes, ad nos mittas, aut certe ut haec emendes: biduo potes pauculas horas operae seriae suffurari, quas in hanc rem colloques. Nam vehementer opus esset, ut catastrophe disputationis extaret. Oro vacuum hanc fratrem ne remittas.

255 Das wöllen all fromm Christen, und in sonders die Christenlichen Eydgnessen zu hertzen fassen, wie dise leüt diß erber und treffenliche handlung wöllent mit der lugin umbkeren, so sie sehent und wissent, das sie mit der warheit nit bestanden seyden, allein das sie den gemeynen mann auch in der Eydgnesseschafft wider ire herzen und Obern uffrüerig machen.

260 *Ad ultimum actum Faber nervos intendit. Consilium nobis fuit petendi complementum disputationis habitae. Properanti autem ut sum a lectione humaniorum literarum iam diu alienus, quo id commode explicarem, nihil occurebat; tentavi itaque verbis graecis exprimere: [gr]to, inquam, tēs zētēseōs syngamma voces enim sunt omnium facile tritissimae. Sed ita properatum est, ut aut priorem syllabam ociose, repeterem, ut [gr.]zēzētēseōs, aut certe pro [gr.]zētēseōs, sicut ab exemplo nostro coniectura fit, [gr.] tēs syzētēseōs, scriberem, quod opinor esse verosimilius. Utrum sit compertius, declarabit autographon meum. Certe nulla suspicio doli subesse potest. Hic Faber, ut videtur, arrepto forte lexico, quod vicinum esset voci et idoneum calumniae, tametsi a figuris literarum remotissimum, pro [gr.] syzētēseōs vel [gr.] zētēseōs, tēs syssitias aut [gr.]tou syssitiou quod convivium sonat, interpretatus est. Illud rursus conversum in Germanicum, dicitur Gesellschaft, quae vox aliquid notat conspiracy. Mox verbum*

270 *Syngamma reliquit, ut, ein Syngamma der gesellschaft, quo duriore et peregrino suspiciones moverentur simplicibus, tanquam res pessima celaretur. Proiecto de industria viciavit, postquam de repente a tota sententia, ceu membrum e vivo corpore, duas illas voculas a verbo apposito abrupit.*

275 *Praeterea Erasmo fideliter omnia tradente, pleraque eruditorum [gr.]keimēlia in vulgi notitiam pertigerunt, cuius generis sunt quae ex naturali usu in alium ducta, proverbii speciem*

prebent. Nostra aetas, ut est impendio sequax, nonnulla in alieno fundo velut propria fecit
 quotidiana usurpatione, sicut catastrophem, qui est ultimus actus fabulae, cuiuslibet exitum rei
 proverbiali figura vocamus. Superiores consueverunt, addere fabulae, nostri simpliciter
 catastrophe fere dicunt. Proinde, quia disputationis Badensis [gr.] protasis kai epitasis, id est,
 280 initium atque medium pervulgata essent libello nuper hic aedito, visum est operae praecium fore,
 ut extaret eiusdem catastrophe, hoc est, finis, quatenus nimirum ad infanda convitia pertinet,
 quibus Eccius aspersionem pietissimum virum Dei Oecolampadium. Nam Faber velut mutam
 personam in ea tragoedia gessit, exceptis pauculis atque extraneis technis, quibus obstrepebat,
 285 ut sunt commendatio bibliothecae suae instructissimae, encomium suum de victo Zvinglio
 absente, quot libellorum Zvinglii legisset, et id genus, quae in peroratione recitabat. Putavi
 equidem facturum exitum rei perspectum ad retundendam Eccii atque Fabri vanitatem, glorias
 suas de victo evangelio passim efflantium, in subversionem quidem simplicium, qui talibus fumis
 velut exoculantur. Quare Zvinglium oravi, si quae consignasset de disputatione illa, nobis
 290 concrederet edenda, sin minus bidui unius horas pauculas subductas operae iustae iisdem nugis
 impenderet, quo supremum fabulae actum spectaret orbis, quem Faber choragus accurate
 premeret. Caeterum, Faber interpretes meus sic reddit germanice: vehementer opus est, ut
 evertatur disputatio. Adicit atrox in me epiphonema, conversus ad omnes Christianos, presertim
 ad Helvetios, quos hortatur, ut animo expendant, quanta studio nos contendamus actum illum
 295 iam probatum atque eximium evertere mendacis, postquam agnoverimus nos esse transfugas a
 castris veritatis ob hanc omnino causam, ut plebem quoque Helveticam adversus magistratum
 instigaremus. Non aliter scribit calumniator probrosus, atque constaret uspiam me movisse
 plebem, qui quidem, vel cum vitae discrimine curabam reprimendam. Quanta hominis,
 quaeso, impudentia, qui ex verbis meis a se viciatis audent tantam substruere calumniam et tam
 vehementem populum in caput meum immittere! Cave Faber, perfidia perspecta in te autorem ne
 300 recidas! Nam proba pectora peraeque ferunt sibi imponi, quemadmodum tu laudatis Helvetiis
 falsatis literis meis imposuisti.

Fama, sed incerta vagatur, primam Pannonum urbem a Turca oppugnatam his diebus.
 Praeterea fusos equites Suevici foederis a Saltzburgensibus.

305 An vil enden und orten hab ich gehört und gesehen, wann es den Fürsten und dem Adel übel ergang, das
 sich diese Ewighellischen von hertzen erfreüwt, Gott wirt es in die harr nit vertragen.

Colligit hinc Faber saepenumero compertum, de erumnis principum ac procerum nos
 vehementer exultare. Et tamen simpliciter recito ad amicum quae hic vulgo circumferantur citra
 animi mei significationem. Atque Dominus novit, cui servio, quanto dolore sint nobis piis bella
 funesta, quibus orbis Christianus iam olim concutitur temeritate quorundam rebus publicis
 310 administrandis praefectorum.

Ad haec Mediolanam arcem quinque millibus peditum cinctam, quoad Borbonius
 advenerit, qui ducatum iam occupabit, quae certo argumento sunt, satis alioqui fore quod agant
 homines tumultuosi.

315 Sehent zu, diser kauffman hat sein post vom Keyser in Hispanien, von Türcken, von welschen landen, uß
 Franckreych, uß Hugern, uß der Eydgnosschafft und von allen landen unnd orten, auch uß der hell, da sie Sathanam
 erlediget haben.

Ludit curiositatem nostram facete, ut solet. Addit postea haec: auguror avere te
 occasionem concionandi rusticis, ut antea es concionatus. Equidem vero omitto qua arte verba
 mea hic depravavit: nam de hoc egi satis germanice; illud pio lectori firmissime affirmarim, me
 320 cum symmistis meis agricolas vehementer a seditione esse cohortatum: ad hoc faciendum
 admissi ac subornati fuimus per proceres huius viciniae. Deinde ab agmine rusticorum domum
 redeuntes in itinere substitimus, quoad literas pro tempore idoneas scriberemus, quas eodem die

325 *plus minus duabus horis toti turbae enarravit atque explicavit confessor et martyr Christi Andreas Prunulus. Unde cunei seditiosorum prorsus dissiliissent, nisi dux eorum biduum impetrasset exigua remora interiecta. Interea enim praeda quadam direpta mobiles animi ad opes ex rapto parandas incaluerunt. Caeterum qui subsunt senatus nostri ditioni, literis his auditis paruerunt, legatis hactenus frustra ipsos revocantibus. Sunt qui frigidam subfuderunt, bene fateor, sed bona pars illorum in gratiam seditiosorum primum coeperat utcunque simulare evangelium sed paulo antequam in apertum malum hoc prorumperet.*

330 *Ii, fuis miseris, mox numerata aliqua pecuniola episcoporum praefectis, reconciliati sunt et iterum missant, iterumque veteres exercent imposturas. Neque quicquam eis imputatur, modo abiurata coniuge, cum meretricibus de more sacerdotum consuescant. Condonatur eis quantum flagitiorum patrarunt, nemoque exprobrat illis coenobia spoliata, nam una cum vastabundis miseris palam proficiscebantur, tanquam faces scelerum, quorum cohortationibus per se*
 335 *ardentes magis inflammati sunt. Contra, pii fratres, qui pagos aliquot in officio virtute verbi retinuerunt, partim exautorantur, profliguntur, rapiuntur ad vincula, ad tormenta, ad laqueos et ad omne genus mortis. Hoc non est extinguere seditiones, sed occultis animi venis latentem fovere, mi Faber. Dixi tumultuosos habituros quod agant. Tales significo, quos nunc malis artibus tua coniuratio studet immittere innocentibus verbi sectatoribus, quos nomino*
 340 *tumultuosos, non seditiosos, ut tu vertis. Sunt enim quibus orbis pernicies, hoc est nepharia bella lucro sunt, quos quidem obscure significo.*

Si quae de rebus Bernatium certa habentur, aut spes quascunque prevides, [fac] nos ut per nuncium hunc sciamus.

345 *Ich will dir es sagen und warlich nit liegen. Es haben die von Bern unn all ir Landschafft, deren wol dreyszigtausent seind, ein Eyd zu Gott unn den heiligen zusamen geschworen, unn deßhalb den Syben Orten brieff und sigel geben, das sie bey dem alten glauben sterben wöllen; und dar uff all pfaffen und münch, die weyber genommen haben, veriagt. Und uff Montag nach Johannis Baptiste nechstnerschinen, hat dein unn Zwinglins bruder in der kisten, der Predicant zu Bern, vor grossem Rat bekennet, das er halt und glaub die Mess wie wir sie haben sey gerecht unnd im Sacrament des altars sey der war leub unn das war blut Christi,*
 350 *darzu geschworn den alten glauben zu halten und zu predigen. Hab ich dir für neüwe zeytung nit wöllen verhalten, deine sachen wissen darnach zu richten. Dann eüwer babylonischer thurn vacht an, an allen orten fallen, und wil eüwer bieberey eins mals gar an tag kommen.*

Vale in Domino fortissime Christi miles et frater. Argentinae, 11 Iunii anno 1526. Bucerus et fratres to salutant, presertim Farellus.

355 *V. Capito*

Huldericho Zwinglio suo in Domino maiori observando.

Hic Faber apertissima mendacia in senatum ac populum urbis ac ditionis Bernatium effutivit, quae paucis in Germanica satisfactione deliniavimus. Summa est, Bernae evangelium praedicatur Bertholdus illic evangelista, in officio pergit, ex autoritate ac stipendio senatus;
 360 *libertas verbi dicendi et interitus papisticae factionis pariter obtinent, neque unquam publice his annis consensus est adversus evangelium, etiamsi illic, ut alias quoque, studio fortassis vigent. Faber vero omnia contraria modo affirmat cum notatione obliqua gravissimi populi Bernatium.*

Ex his literis, ita ut dixi, depravatis, non solum adversum vulgi rumorem in me commovit [gr.]ho polytechnos toioutos, sed etiam magistratum Helvetiorum et propemodum senatum imperii, quemadmodum videre est in eo libello, quo Germanice satisfacimus, ad me perdendum excitavit. Age nunc, bone lector, Fabrum illum fateare virum bonum esse. Quomodo enim effugiet crimen falsarii et perniciosissimi calumniatoris? Si sciens bene dicta vertendo in germanicum adulteravit, homo est longe omnium sceleratissimus, qui in vitam fratris, nihil de ipso mali unquam commeriti, dolis ac imposturis tantopere grassetur. Si per imprudentiam et
 370 *inscitiam peccavit, ut multis videtur, dupliciter culpandus veniet, tum quia non intellecta in*

375 *pessimam tamen partem interpretari maluit, tum quia innocentissima quaeque vel
 enarratiunculis adiectis, in contrarium rapere molitur. Ignorantiae defensio locum in te non
 habet, impudentissime Faber: nam responderem, quis te adegit, ut tanquam de certissimis
 pronunciaris, postquam ne scieris an atrum an album sit, quod scripserim. Nemo itaque facile
 380 *definiet, an studio, an imperitia tantis me contumeliis oppleveris: nam apud Helvetios cavisti, ne
 quis exemplum mearum nancisceretur, quod arguit consilio et voluntate patratum scelus. Contra
 vero, serenissimo principi Hispaniarum atque Austriae duci Ferdinando etc., ut ferunt,
 exemplum earum pertulisti, quo fit coniectura, stolidam confidentiam, quasi probe egisses, tibi
 gloriarum redundanti facile imposuisse, nisi principem tantum et omnia familiae illius
 augustissimae ingenia atque literaturam politissimam contempseris. Ad cognitionem rem totam
 refero candidi lectoris. Subieci tamen unum atque alterum perquam festivum epigramma, quibus
 suam sententiam innoxius quidam amicus deliniavit: huic enim visus es ineptus atque
 [gr.] adynata conari. Verum poeta est: pro re commoda ingenii bonitate finxerit, nihil equidem
 moror.**